

Franckesche Stiftungen zu Halle

Historia Reformationis Ex B. D. Martini Lutheri Aliorumque fide dignorum scriptorum monumentis eruta ac digesta

Majus, Johann Heinrich

Francofvrti ad Moenvm, MDCCX.

VD18 11197102

Locus V. De Statu Oeconomico.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-211445](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-211445)

Magistratus beneficia, & pro iis gratissimus, ne sicut vulgus, offendamur oneribus, quæ Reipublicæ causa libenter sunt subeunda. - Si nostrum officium, pro eo ac par est, facimus, futurum est, ut Deus ad ampliorem benedictionem provocetur; ubi, cum hæc non fiunt, provocatur ad eripienda etiam illa dona, quæ habemus. Sic magna imperia, urbes & Respubl. possent quidem in flore longius durare; sed quia non agunt gratias Deo, & verbum ejus contemnunt, fit, ut propter ingratitude periant. Nos itaque discamus grati esse, & benedictio Domini abundabit in nobis, Amen.

Tom. IV. Jen. Lat. fol. 483. seq.

§. XXVII.

De officiis Dominorum & servorum, aliisque, nil opus est, prolixè differere, quum ea ex præcepto IV. facile intelligi queant, & Megalander in Catechismo minori ac majori ea sufficienter exposuerit, quæ nota omnibus & obvia sunt.

LOCUS V.

De

STATU OECONOMICO.

§. I.

*Oeconomia
est fons Rei-
publ. & Ec-
clesia.*



Economia (a) fons est Reipublicæ. Si enim desint pater & mater, uxor & maritus, qui progenerent sobolem, & educent, non poterit consistere Respubl. Ex domo igitur propagatur civitas, quæ nihil aliud est, quam multæ domus & familiæ. Ex civitatibus fit Ducatus, ex Ducatu regnum, quod illa omnia conjungit. Harum omnium Oeconomia fons est, à Deo creata in Paradiso, ubi dixit: *non est bonum*

bonum hominem esse solum. Item : *crescite & multiplicamini*. Imo (b) non tantum est seminarium Politicæ, sed etiam Ecclesiæ & regni Christi usque ad finem mundi.

(a) *Tom. IV. Gen. Lat. f. 463. b. in Psal. 127.* (b) *ad Gen. IV. p. 209. a.*

§. II.

Cum igitur Scriptura S. (c) veris & amplissimis laudibus conjugium ornet, & monstret, quomodo fons sit & origo Oeconomix, Politicæ & Ecclesiæ, quæ inde enascuntur & ædificantur, quod ad materiam attinet, honorifice conjugium tractari debet. In *Sermone de Conjugio* A. 1525. Wittenbergæ habito, (d) prolixè disseruit Noster de honore, quo Deus conjugium prosecutus sit, & octuplici ratione id factum ostendit. 1. Quod conjugium non ab ullo Angelo vel homine institutum, sed divinum opus sit Gen. I. 26. ubi vocabulum *Elohim* in plurali positum plures innuit personas Deitatis, ac declarat conjugium totius SS. Trinitatis creatum opus, ordinem & institutum esse. Quod amplius quoque ex eo confirmatur, quando Moses Genet. II. propriam suam phrasin retinuit, & dixit, quod idem ille *Elohim* (non *Eloah* in singulari) sive plures personæ creaverint mulierem ex costa Adami, & adduxerint ad virum, & paranymphi fuerint; Jesus Christus autem, tanquam summus sacerdos, eos copulaverit & benedixerit. 2. Quod non Athenis, nec in Babel aut Roma, sed in Paradiso institutum sit &c.

(c) *ad Genes. IV. p. 209.* (d) *Tom. II. Alt. p. 867. seq.*

§. III.

Notandus itaque præcipue hic locus est, non solum contra omnes horribiles abusus libidinum, sed etiam pro confirmatione conjugii, contra impia convitia, quibus *Papatus* conjugium deformavit. *An non enim magnum est, quod etiam in innocentie statu Deus conjugium ordinavit & instituit?* Tanto autem nunc hac institutione & ordinatione magis est opus, quanto hæc caro per peccatum magis infirmata & corrupta est. Stat igitur hæc

*Conjugi
autor Deus
ipse in Para-
diso, Gen. I.
26. seq. II.*

*Inde proba-
tur, conjuga-
rium esse
divinum &
sanctum
vita genit.*

con-

consolatio invicta, contra omnes dæmoniõrum doctrinas, quod scilicet conjugium est vitæ genus divinum, hoc est, *ab ipso Deo ordinatum*. Quid igitur in mentem venit Satanæ organis & hostibus Christi, qui negarunt castitatem esse in conjugio, & dixerunt, eos aptissimos ministeriis Ecclesiarum, qui vivant cœlibes, quia Scriptura dicit: *mundi estote*? An immundi sunt, qui sunt conjuges? Deus igitur immundicie autor & institutor est, qui ipse *Hevam adducit ad Adamum*? Adam igitur male facit, quod ad immundiciem persuaderi se patitur, qui conjugio in innocenti natura carere poterat? Sed an non meritas pœnas harum blasphemiarum impius *Papatus* exolvit, quod non solum multitudine scortorum se polluant, sed etiam aliis nefandis sceleribus ad abominationem usque indulgent, jamdudum maturi pœnis Sodomorum & Gomorræ. - Necessariam igitur Ecclesiæ & utilem operam omnes illi sumserunt, qui in id incubuerunt, ut conjugium per verbum Dei cohonestaretur iterum, & meritis laudibus ornaretur. Unde factum est, Dei gratia, ut nunc bonum & sanctum omnes esse statuunt, cum conjuge unanimiter & tranquille vivere, etiamsi sterilem habeat aliquis, aut aliis incommodis laborantem uxorem.

Ad Genes. II. pag. 115. a, b.

§. IV.

*Etiam post
lapsus est
conjugium
bonum, san-
ctum & lan-
dabile vita
genus.*

Neque vero ex eo, quod dixit Deus Gen. II. 18. *non est bonum hominem esse solum, faciam ei adjutorium coram ipso*, colligi recte potest, conjugium non esse bonum, aut sanctum. (e) Loquitur enim Deus de bono communi seu speciei, *non de bono personalis*; illud ei deerat, nempe donum multiplicationis & benedictionis, quia erat solus. Hodie, postquam natura peccato corrupta est, est mulier necessaria, non solum ad multiplicationem, sed etiam ad vitæ necessitatem & defensionem quoque; nam ministerio muliercularum opus habet Oeconomia. Imo, quod miserabile est, opus est muliere etiam ad remedium peccati.

cati. Itaque in muliere non solum Oeconomiae ratio, sed etiam medicina considerari debet; sicut Paulus dicit: *propter fornicationem habeat unusquisque uxorem suam.* Et Magister sententiarum erudite dicit: *conjugium in Paradiso esse institutum ad officium, post peccatum autem ad remedium quoque.* - Et tamen sub isto remedio & in tam misero statu implet Dominus benedictionem, ut homines in peccato & cum peccato generentur. Hoc in Paradiso non sic fuisset. Ipsum opus generationis fuisset sanctissimum & reverendum, sine omni furore libidinis. Non fuisset ille pudor ex peccato natus, qui nunc est, quod Parentes tum coguntur se abdere in tenebras. Non minor fuisset in concumbendo honestas, quam est in capiendo somno, cibo, potu, cum uxore. - Nunc, prohi dolor, est tam foeda & horribilis voluptas, ut à medicis comparetur cum epilepsia, seu comitiali morbo. Interim, quia (f) Deus adhuc conjugio benedicere vult, propter divinam suam ordinationem, & Spiritus S. conjugium amplissime commendat passim, ac nominatim Psal. CXXVIII. *conjugium est sanctum, laudabile, bonum & utile genus vitae,* mereturque laudari, sicut Psalmus hic facit, etsi caro & mundus, propter incommoda, quæ habet, non possit id laudare: Proinde (g) Christiani ita se comparent, atque ita vitam suam instituunt, ut cogitent conjugium non esse temerariam aut fortuitam rem, pendentem ex nostro arbitrio, & fortuito eventu, sed esse legitimam & divinam conjunctionem. Cujus rei hoc illustre argumentum est, quia creavit Deus masculum & foeminam. Et non solus vir aut mulier nascitur, sed uterque vir & mulier. Itaque conjunctio hæc statim in prima nativitate suam originem habet, ac propterea vere legitima est & divina. Quare causa efficiens & finalis in primis hic attendi debent. Deus (h) curat res turpissimas, & Scriptura S. hoc loco (Gen. c. 24.) copiosior & uberius est, in descriptione nuptiarum, quam si de summis rebus loquitur. Cur hoc sit? quia ipse fecit nos, nos sumus crea-

Aaa aaa

tura

tura & opus ipsius, ideo curat suum opus, etiam in mediis peccatis, morte, inferno, turpitudine & ignominia. - Hæc sunt opera divina, quæ homines carnales, qui sunt sine Spiritu S. non intelligunt. Ideo oculos tantum deflectunt ad libidinem & turpitudinem in conjugio. In concupiscentia non vident illam sanctissimam benedictionem generationis, quia nil nisi flammæ turpissimæ concupiscentiæ sentiunt, & sicut sentiunt, ita judicant. Sed quia nos non fecimus nos, masculum enim & foeminam creavit eos; ideo nos Deo curæ esse statuamus, tanquam creaturam ipsius. Hæc igitur causa est, cur Scriptura S. de hac re tam abjecta in speciem, tam multis agit. Nihil novum aut inusitatum est conjugium, & ab Ethnicis quoque iudicio rationis approbatum & laudatum. Sed quis unquam ita aspexit, aut consideravit, quod sit creatura divina, benedictio in maledictione & castitas in libidine? Si secundum rationem & speciem externam iudices, nihil differt concubitus maritalis à meretricio, & tamen ille pudicus & honestus est sub remissione peccatorum, sub benedictione, & Deo placens: hic flagitiosus & damnatus sub ira Dei; quia in conjugio servat Deus in media libidine & turpitudine institutionem suam & ordinationem.

(e) ad Genes. II. p. 93. seqq. (f) Tom. IV. Gen. Lat. fol. 475. ff. (g) ad Genes. XXVIII. p. 435. ff. (h) ad Genes. XXIV. p. 1275. ff.

§. V.

Canonistarum frigida definitio conjugii, & Theologica vera.

Proinde ante omnia respicienda est voluntas Dei. Deus sic voluit, sic ordinavit & instituit, non licet inde nostram gloriam quærere, multo minus contumelia adficere ordinationem Dei. Qualis autem ordinatio sit, nunc definiamus. *Canonistæ* frigidissime definiunt conjugium: est conjunctio masculi & foeminae, secundum jus naturæ. Hæc tenuis admodum infirmaque definitio est, ideo ad dijudicandam hanc controversiam sunt inepti, quia non considerant magnitudinem rei. Desunt hic causa efficiens & finalis, & tantum à causa *materiali* sumpta est definitio;

tio; conjunctio enim masculi & foeminae est materiale. Theologia aliter definit. *Conjugiam* est conjunctio unius maris & unius foeminae inseparabilis, non tantum juris naturae, sed etiam voluntatis, & voluptatis, ut sic dicam, divinae. Voluntas enim, & approbatio, ac beneplacitum illud Dei, tegit miseram turpitudinem libidinis, & removet iram Dei imminens illi concupiscentiae & peccatis. Ad hunc modum conjugium cum reverentia tractatur. *Papa* nihil aliud intelligit, quam si duo concurrant, & dicant, ego sum tuus, tu mea, illud esse matrimonium: non cogitat de beneplacito divino, de consolatione conjugum, & quomodo doceantur masculus & foemella, de temperando ardore libidinis, de gubernatione familiae, de benedictione divina, deinde de ferendis infirmitatibus in uxore, de tolerantia periculorum à liberis, & injuriarum à vicinis. Tantum respicit in turpem illam conjunctionem carnis, quam copulam vocant, promissionem & ordinationem Dei negligit. Si ad finem simul respicias, integra definitio haec est: conjugium est legitima & divina conjunctio, unius maris & unius foeminae, ordinata ad invocandum Deum, & conservandam & educendam sobolem, ad administrationem Ecclesiae & Politiae.

Ad Genes. XXIV. p. 1256. seq. conf. ad Genes. XXXIII.

§. VI.

Quantumvis igitur Matrimonium sanctum & honorabile fit, non tamen est Sacramentum. Nusquam enim legitur aliquid gratiae Dei accepturum, quisquis uxorem duxerit; quin nec signum est divinitus institutum in Matrimonio: nec enim uspiam legitur à Deo institutum, ut aliquid significaret, licet omnia, quae visibiliter geruntur, possint intelligi figurae & allegoriae rerum invisibilium. At figura aut allegoria non sunt Sacramenta, ut nos de Sacramentis loquimur. Deinde, cum matrimonium fuerit ab initio mundi, & apud infideles adhuc permaneat, nullae subsunt rationes, ut Sacramentum novae legis &

Matrimonium non est Sacramentum.

Aaa aaa 2

folius

solius Ecclesiæ possit dici. Non minus enim erant matrimonia patrum sancta, quam nostra, nec minus vera infidelium quam fidelium, nec tamen in eis ponunt Sacramentum. Adhæc sunt apud fideles quoque impii conjuges, quibusvis gentibus peiores, cur hic Sacramentum dici debet, & non apud gentiles? An de Baptismo & Ecclesia sic nugabimur, ut sicut quidam delirant, imperium temporale non esse nisi in Ecclesia, ita matrimonium non esse Sacramentum nisi in Ecclesia, dicamus? Puerilia sunt & ridicula, per quæ nostram inscitiam & temeritatem infidelibus risui exponimus. Ad Ephes. V. *erunt duo in carne una, Sacramentum hoc magnum est*, responder primo, vocabulum *Sacramenti* in universa Scriptura S. non in hac sed contraria potius significatione occurrere, & non signum rei sacræ, sed rem sacram, secretam & absconditam, sive mysterium, ut est in Græco textu, declarare, ut 1. Cor. II. 6. ubi sapientia Dei abscondita in mysterio, ipse Christus est, & 1. Tim. III. 16. Secundo, urget, quod Paulus ipse verba de Christo & Ecclesia induxerit, & seipsum clare exposuerit dicens: *ego autem dico in Christo & Ecclesia*. 3. Concedit matrimonium esse figuram Christi & Ecclesiæ, Sacramentum autem non divinitus institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, ignorantia tam rei quam verbi abductis.

Tom. II. Jen. Lat. fol. 294. a, b. de capt. Babyl.

§. VII.

*Benedictio
conjugii post
lapsum re-
liqua.*

Medium igitur hic tenendum, ne quid nimis, aut minus quam par est, de conjugio sentiamus. *Benedictio* (conjugii) quæ in natura (i) adhuc restat, quasi maledicta & humiliata est benedictio, si ad illam primam conferas; & tamen *Deus eam condidit & conservat*. Quare agnoscamus cum gratiarum actione illam quasi deformatam benedictionem & inevitabilem carnis lepram, quæ mera inobedientia est & scelerata annexa corporibus & animis; sentiamus esse peccati poenam: expectemus autem

autem in spe mortem hujus carnis, ut liberemur ab his fœditatibus, & restituamur etiam supra illam primam Adæ creationem. *Cohabitatio* (k) quæ inter maritum & uxorem est, quod simul habitant, quod curant rem familiarem, quod simul generant & educant liberos, est quædam imago obscura, & quasi reliquiæ illius beatæ cohabitationis, propter quam Moses mulierem dicit ædificium esse. Posterius Adæ, si Adam in innocentia perstitisset, ductis uxoribus emigrassent ab Adamo patre, in quendam proprium hortulum, ibi cum uxoribus vixissent, simul colentes terram, & educantes liberos. Non opus fuisset magnificis ædificiis ex secto lapide, non culina, non cella vinaria, ut nunc: sed sicut avium niduli sunt, ita hinc inde habitassent in opere & vocatione Dei: ac mulier præcipua extitisset causa, ut mariti in certis sedibus habitarent. Nunc in hac peccati calamitate, ubi propter aëris injurias domibus opus est, ne cogitatione quidem imaginem hujus fœlicitatis possumus consequi, & tamen *illæ misellæ reliquiæ, sunt excellentia dona Dei*, quibus sine gratiarum actione uti, profecto impietas est. - Discamus igitur (l) *in verbum intueri* & in voluntatem Dei, & separemus vitia, quæ peccatum originis attulit, à creatione & operibus Dei. Ego certus sum, quod sum creatus masculus. Est autem Dei ordinatio conjugium. Non, inquit, bonum est, hominem esse solum. Sed obijciuntur ibi molestiæ, vexationes, tribulationes variæ. Quid tum? An non hoc potius est, quod Deo placeo? quod Deus invocantem me exaudit? quod per sociam vitæ bonam, quam adjunxi mihi, varie mihi prodest &c. Ad hunc modum qui suas rationes instituit, collocat se in puritatem Paradisi. - Molestiæ, quas Deus propter peccatum humanæ naturæ inflixit, non sunt fugiendæ; considerandi aptem fulgentes radii verbi divini, quibus ornavit Deus *Oeconomiam, Politiam & Ecclesiam*; sic fiet, ut non offendamur molestiis & incommodis, quæ in Paradiso nulla fuerunt, & in mundo necessaria sunt, ad coercen-

Aaa aaa ;

dam

dam naturam. - Hæc causa est, cur Moses sic copiose celebret & extollat generationem Isaac, ut commoneat nos, nihil tam respiciendum esse, quam ipsum verbum. Hoc qui faciunt, vident totum mundum esse plenum miraculorum, sed puri sint oculi necesse est, alioqui præstantissima Dei opera assiduitate vilescunt, & obscuratur gloria verbi & operum Dei. - Nos contemplamur *spiritualem illam coronam*, qua Deus conjugium ornavit, *creavit eos masculum & feminam: non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium. Benedixit eis dicens: crescite & multiplicamini.* Hæc est illa aurea corona, quam omnes pii conjuges gestant in capite, nec prohibet, quod mundus immundus, ceu porci os, & oculos in lutum & sterces figit, & tantum molestias æstimat. Nos nostra & quidem vera bona discamus intelligere, & fiet nobis ex deserto *Paradisus*, ut saltem ferre & moderate tolerare, vel devorare omnia incommoda possimus: ideo tam diligenter inculcat Moses verbum Dei & promissiones.

(i) in Genes. I. p. 59. (k) in Gen. II. p. 113. b. (l) ad Cap. XXI. p. 900. seq.

§. VIII.

Deus dissimulat vitia in conjugio propter ordinationem suam.

Est igitur conjugium *conjunctio divina*, quam magnificare Deoque gratias agere debemus, quod certi sumus conjugium divinitus institutum esse, placere Deo, Angelis & omnibus creaturis. *Prohibitio autem conjugii* horribiliter punita est, cum diabolus, loco divinæ ordinationis, immisit vagas libidines, & infanda scelera Sodomitica: idque iusto iudicio Dei factum est, quia *detraxerunt sanctissimo generi vite, quod ordinavit Deus eique benedixit.* Non caret id quidem suo vitio & immunditia, sed Deus tolerat, dissimulat eam. Si servetur naturalis ordo ad generandam sobolem, tum Deus dissimulat, & ignoscit, sive ut Lucas in Actis eleganti verbo usus est: *προσπορεύει, ich will mir diese Welt gefallen lassen* / propter conservationem generis humani. Scio te in peccatis esse conceptum, sed ignosco & con-

& concedo, ut tu tuam conjugem habeas in adiutorium, ea sola te oblectes, & devores, etiamsi quid obijcitur triste aut molestum: ego quoque patientiam habeo, sive nudam in nocte, sive vestitam in die amplectaris. Si non instituisset Deus singulari beneficio hanc *conjunctionem*, *unius maris & unius feminae*, quanto desiderio eam totus mundus exoptaturus esset, ut posset liberari à libidinibus & pollutionibus hoc remedio? Jam vero averſamur legitimam istam conjunctionem, quam sanxit lege perpetua & immota, qua prohibet stupra & vagas libidines, jubet *ut unam* tibi eligas, quæ placeat, cum qua vitam tuam transigas. Est quidem peccatum; sed concedo, inquit Deus, ut ludas, ut rideas cum tua, & ab alienis abstineas, sicut scriptum est Prov. V. *exhilarer te uxor*, quam adolescens ducis, ceu jucunda cerva & venustus hinnulus. Illius amore perpetuo contentus esto, & amore ejus semper frui.

Ad Genes. XXVI. pag. 185. seqq.

§. IX.

Neque tamen Spiritus S. dum commendat conjugium, *Spiritus S.* & erudit homines pios de hoc vitæ genere divinitus instituto, *non cogit ad* hoc agit, ut cogat aut præcipiat pariter omnibus, quod oportet uxorem ducere, sed ut qui duxerunt, aut sunt ducturi, intelligant, quid habeant, cum uxores habent. Ita ut libertas sua *conjugium, sed relinquit libertatem conjugio & celibatui.* maneat, tum cœlibatui, tum conjugio. Quis enim ad conjugium cogat non indigentem conjugio? Qui tales sunt, ut hoc verbum possint capere, maneat cœlibes, & glorientur in Domino, sicut qui non vocantur ad Rempubl. privati manent, qui non vocantur ad ministerium Ecclesiarum, manent inter auditores. Par omnino hic ratio est. Cum per infirmitatem naturæ suæ non cogantur ad conjugium, sed ex eorum numero sint, qui conjugio carere possunt, recte faciunt, quod conjugio abſtinent, & iis molestiis se non onerant, quibus carere possunt. Econtra, qui non sic robusti sunt dono Dei, sed sunt pro-

pro-

propterea infirmitatis sibi conscii, quod non simul caste & extra conjugium possint vivere, hi pluris facere necessitatem suam debent, quam incommoda & molestias conjugii. Nunc facilis responsio est ad disputationem illam, si prius statuas Psalmum tantum ornare & commendare donum hoc, non urgere & cogere ad conjugium. Ne insaniamus sicut primus Phanaticus Spiritus, qui in schola nostra extitit: is ex loco Pauli ad Timotheum I. Tim. III. I. hoc volebat evincere, non posse pastorem esse, nisi etiam maritus esset, quasi dicat, non posse esse Principem, aut Magistratum, nisi uxorem habeat. Hæc neque Pauli sententia est, nec Psalmi huius, in quo Spiritus S. laudat conjugium, & docet, qui in eo sunt, quomodo eo recte possint uti. Cæterum unus Spiritus aliis sic, aliis aliter distribuit dona sua. Sumus quidem in uno corpore, & ornatur ab uno & eodem Spiritu, sed non eodem modo. Itaque qui sine conjugio non possunt caste vivere, uxorem ducant, & sciant se habere insigne & excellens donum, à Deo conditum, ad infirmitatem suam medicandam, sicut Scriptura feminam vocat adiutorium viri. Qui autem castitatis donum habent, vivant cœlibes, ut ita quamquam donis sumus dispares, tamen singuli in nostris donis serviamus Deo, & vivamus sine scandalo, ad utilitatem proximi. Non itaque negat Psalmus esse beatos, qui extra conjugium sancte & caste vixerunt; sed hoc manifeste prohibet, ne conjugium vituperetur. Spiritus S. pure laudat dona Dei, sine contumelia aliorum donorum. Mox Hieronymum, Gregorium & Iulianum redarguit, qui virginitatem cum contumelia conjugii laudant & prætulerunt.

Tom. IV. Jen. Lat. fol. 478. b. 479. a, b.

§. X.

actio ad
cœlibatum
Pontif.
damnata.

Male igitur Pontificii, præteritis, neglectis & abjectis, creatione, promissione & benedictione conjugii, cogunt sacrificulos, monachas & monachos suos ad perpetuum cœlibatum, quasi

quasi conjugum vita, de qua Moses Gen. IV. 1. loquitur, damnata & reproba vita sit. Sed Spiritus S. habet purius os, & oculos puriores, quam Papa, ideo non veretur meminisse copulæ, seu congressus mariti & uxoris, quem isti sancti ceu scædum & impurum damnant. Nec facit hoc Spiritus S. uno in loco, tota Scriptura talium historiarum plena est; ita, ut etiam hanc ob causam nonnulli à lectione sacrorum Bibliorum juvenes monachos & monachas revocarint. Quid multis? Tantus fuit furor Diaboli contra creaturam Dei, & *sanctum conjugium*, ut coegerint Papistæ homines abjurare conjugium, ut instituerint ordines cœlibis vitæ, & damnaverint præ cœlibatu suo conjugum vitam. Itaque hæc impietas non caruit suis pœnis. Nam exempla ob oculos sunt, qui fructus impurum cœlibatum sint secuti: & etiam in libris extant vestigia horrendorum scelerum. Testatur S. *Udalricus*, Episcopus Augustanus, postquam cœlibatum *Gregorius Pontifex* stabilitum vellet, & interdixisset usu conjugum, etiam illis, qui jam ante decretum de cœlibatu conjuges facti essent, cum forte piscari vellet in vivario, quod Romæ habebat, inventa in eo esse amplius sex mille capitum infantilium. Scribit autem idem *Udalricus*, vehementer consternatum eo spectaculo *Gregorium*, impiam de cœlibatu sanctionem iterum sustulisse. Sed successores Gregorii, facile & sceditatem hujus rei, & piæ abolitionem decreti de cœlibatu suppresserunt; cum ipsi quoque existimarent, non ad opes solum parandas cœlibatum aptum esse, sed etiam ad dignitatem conciliandam. Simile exemplum nostra ætate accidit. Cum Moniales in Austriæ vico *Kloster Neuburg* / propter turpem vitam, cogerentur mutare locum, & Monasterium Franciscanis habitandum concessum esset, atque illi pro sua commoditate, quædam ædificia mutarent, inventæ sunt in fundamentis novis duodecim ollæ, quarum singulæ cadaver infantis habebant. Hujusmodi infinita alia passim acciderunt. Recte igitur *Gregorius*, qui sicut Episco-

Bbb bbb

pus

pus *Udalricus* refert, verbum Pauli eleganter mutavit. Paulus inquit: *melius est nubere, quam uri*; sed ego addo: melius est nubere, quam mortis occasionem præbere. Romæ quoque propter copiam puerorum expositiorū erecta sunt monasteria, quorum Pontifex pater dicitur, & antecedunt eum proxime in processionibus publicis. Taceo infinita alia, quæ dicere animus reformidat. Cavere itaque doctrinas istas dæmoniorum decet & discere, ut reverenter habeamus conjugium, & reverenter loquamur de hoc vitæ genere, quod videmus Deum instituisse, quod audimus in Decalogo commendari, ubi dicitur: honora patrem tuum & matrem tuam. Cui addita est benedictio. De quo audimus hic Spiritum S. loqui, cui os castum est.

Ad Genes. IV. pag. 208. seq.

§. XI.

*Refutatur
consilium
Evangel.
cœlibatus.
Resp. ad
Mart. 19. 12.
seq. 1. Cor. 7.*

In Tractatu de votis Monasticis A. 1521. in Eremito scripto & Patri *Johanni Luthero* inscripto, prolixè & solide hoc argumentum persequitur, & 1. negat virginitatem & cœlibatum esse *consilium Evangelicum*, ac contra ostendit, Christum ipsum plane non consultuisse, sed potius deterruisse, monstravisse solum & laudavisse, dum memoratis Eunuchis dixit Matth. XIX. 12. *qui potest capere, capiat*. Et iterum v. 11. *non omnes capiunt verbum hoc*. Nonne, inquit, hæc verba potius sunt avocantis & deterrentis? Neminem enim invitat & vocat, sed ostendit solum; Paulus autem 1. Cor. VII. dicit: *consilium do*. Sed nec ipse invitat quenquam, quin magis deterret & avocat, dum dicit: *sed unusquisque proprium donum habet à Deo*. Neque suadet, neque dissuadet; sed in medio relinquit. At nostri imundi cœlibes non intelligunt per consulere, quam invitare, exhortari, vocare & persuadere ad cœlibatum, tum dissuadere, dehortari, avocare, absterre à conjugio, quod & faciunt in omnibus suis concionibus & scriptis. 2. Hinc insaniam Pontificiorum monstrat, quod ultra & contra Evangelium è consilio faciant rigidissimum præceptum; impossibile enim esse, ut consilium Evan-

Evan-

Evangelii fiat præceptum, adeoque Deum Evangelii autorem non acceptare, nisi quod Evangelium est, atque adeo non posse probare votum continentiae, sed potius detestari. 3. Commentum de discrimine *status perfectionis & imperfectionis* refellit, & redarguit insignem adversariorum ignorantiam, qui statum perfectionis metiantur consiliis & non præceptis. Non enim, inquit, ut ipsi fingunt, consilia sunt supra præcepta, sed è diverso *consilium continentiae* est intra præceptum suum. Præceptum est enim, *non concupiscendum esse*. At sine concupiscentia neque virgo, neque cælebs est in hac vita. Sed neque cur illud sit consultum, novit hoc miserum ignorantiae vulgus; in hoc enim ipsi servant consilium istud, quod continentia per se sit laudatissimum opus, in quo sit salus & gloria, ideo sese cæteris Christianis præferunt magno intervallo. At Christus & Paulus secus docent, qui solam fidem jactant, & in hoc laudant cœlibatum, non quod perfecti sint in castitate præ cæteris, aut non concupiscant adversus præceptum, sed quod soluti à curis & tribulatione carnis, quam tribuit Paulus conjugio, expeditius & liberius verbo & fidei instare possint die ac nocte, ubi conjux conjugii, filiis, familiæ & rebus hujus vitæ deditus, avelitur, & in multa aliena à verbo negotia dividitur. Sic Christus Eunuchos laudat, non quia castrant seipsos, sed quia propter regnum cœlorum sese castrant, non autem sic propter regnum cœlorum, ut per castitatem salvi fiant, alioqui omnes deberet castrari, cum sola fides salvos faciat; sed propter Evangelium, vocat regnum cœlorum, cui prædicando & propagando per populos ille felicius servit, qui *ἀγᾶμος* & sine cura aliorum cælebs vivit. Servam ergo regni cœlorum vult esse castitatem Christus, & servam spontaneam, non quæ illud mereatur, sed jam habeat, & ad communicandum aliis gratuito obsequio laboret, aut certe sibi ipsi augeat, assidue parata propter ipsum mori & de mundo exire. Et Paulus bonum esse cœlibatum di-

Bbb bbb 2

cit,

cit, propter instantem necessitatem, non propter aureolam in celis, scilicet, quia hujus vitæ necessitatem præsertim Christianæ, commodius ferunt liberi cœlibes, quam ligati conjuges. Et rursus idem dicit: *virgo & innupta cogitat quæ sunt Domini, quomodo placeat Deo, ut sit sancta corpore & spiritu.* Quid est cogitare quæ sunt Domini? Nunquid solam & otiosam habere castitatem? imo meditari, servire in verbo Dei, prædicare, testificari, & paratum sese pro illo offerre. A quo usu castitatis quid est alienius & longius monasticis istis; qui & omnium ignorantissimi sunt ejus usus, cum nonnisi sibi ipsis cœlibes sint tantum clamoribus & murmuri in templis servientes, & aureolas sibi ipsis in cœlo promittentes, pro fide scilicet extincta.

Tom. II. Jen. Lat. fol. 509. a, b. Tom. I. Alt. p. 872. Conf. A. C. Art. II. Abus. & Art. Smalcald. p. 334. seq.

§. XII.

Conjugium
est conjun-
ctio divina
& legitima.

Conjugium à *conjunctione* nomen habet, illa vero conjunctio non est qualiscunque; nam & scortatores & meretrices, & adulteri cum adulteris conjunguntur: verum hæc conjunctio non est divina, nec legitima. Adam (m) conditam Evam non rapit ex se, ex suo arbitrio, sed exspectat adducentem Deum. Sicut Christus quoque dixit: *quod Deus conjunxit, homo non separet.* Est enim legitima conjunctio masculi & feminae, ordinatio & institutio divina. Quia (n) divinitus conjunctio ordinata est, ideo non imputat Deus, quicquid ibi fœdum est aut immundum. Sed malum illud in conjugio & in copula, non est defendendum pro bono. Ethnici dixerunt esse secundum naturam, nec esse inhonestum, adolescentem amare, ut ait senex apud Comicum. Sed requirit Deus intelligentiam nostram in conjugio, ut simus sensati, & sciamus nos quidem non damnari, aut reos agi in judicio extremo; sed tamen non excusemus concupiscentiam & turpitudinem, quæ est in conjugio: non dicamus, bene actum est, quod dormivi cum uxore; sed agnoscamus impuritatem,

ritatem, & tamen statuamus, *propter conjunctionem divinam* esse omnia munda, ut in timore & reverentia possideamus vasa nostra, & si quid mali est commissum, maneat tamen intra limites conjugii.

(m) *ad Genes. IV. p. 114. b.* (n) *ad Genes. XXVI. p. 191.*

§. XIII.

Ut vero certi simus, divinitus nos esse conjunctos & co- *Ut divina*
pulos, conjugium incipiendum est à timore Dei & oratione. *fit coniun-*
Hoc David docet Ps. CXXVIII. (o) quando non statim irrumpit in *ctio, ab ora-*
promissiones conjugii, tanquam propter conjugium simpliciter *tione & ti-*
obtingant; sed incipit à prima tabula, & beatum prædicat, qui *more Dei*
Dominum timet. Sic enim orditur epithalamium: *incipiendæ*
conjugiæ.
beatus omnis,
qui timet Dominum &c. h. e. si vis esse felix & beatus, & adjecisti
animum ad conjugium, hoc experieris, Deus tibi dabit uxorem, domum, liberos & alia, sed hoc primum da operam, ut *Deum*
timeas, & in nomine Dei id vitæ genus incipias. Hæc utilis doctrina est, quam statim initio tradit Spiritus S. ut is, cui non datum est ut contineat, incipiat matrimonium à primo præcepto, & divinam imploret opem, ac in conspectum Dei prodeat & dicat: Domine Deus, tu dicis ad me in verbo tuo, quod sis & esse velis Dominus & Deus meus, creasti igitur me masculum, & creasti fœmellam, hæc tua creatio & hoc opus tuum est, ego me sic non feci, nec fortuito ita sum factus. Adde igitur creaturæ tuæ successum, & da ut sim felix maritus, ut sim uxor felix, &c. ut sic incipiamus in timore Dei, non simus securi, aut præsumentes, nec sicut rustici, & imperiti homines temere in hoc vitæ genus irruamus, sed invocemus illum, qui ad id vitæ genus nos creavit, tunc fiet ut feliciter eveniant omnia. Longe igitur alio modo Epithalamion suum Spiritus S. orditur, quam ahi Poëtæ. Hortatur enim ut invocemus primum Deum, & fiduciam misericordiæ ejus animo concipiamus. Non enim Deus invitus audiet, si appelles eum creatorem tuum, sed vicissim

Bbb bbb 3

agnos

agnoscit te creaturam suam esse, nec negabit, se tibi dedisse, ut esses masculus, aut esses foemina. *Presumptionem prohibuit*, nec vult privato consilio hoc vitæ genus incipere, sed vult, ut tua consilia tibi sint suspecta, & quod ea Deus non sit fortunaturus, nisi ipsum in consilium adhibueris. Recte igitur dicit: *beatus vir, qui timet Dominum*. Nam exempla quotidie sunt ob oculos, quod saepe vehementissimus amor initio inter conjuges est, qui postea facillime extinguitur, ut aut vivant inter se hostiliter, aut alter alterum deserat: nonnunquam ita immerguntur voluptatibus aut opibus, ut plane sine omni Dei metu vivant, ea duplo major est infelicitas & miseria. Sed merito hæc eis accidunt; cur enim non addunt timorem Dei? Disce igitur hic, ut vivas in timore Dei, qui te creavit, ut possis esse maritus, vel uxor, & vult etiam conjugium tuum gubernare, Quod si eum gubernatorem non adhibueris, & ipse uxorem & familiam pro tuo arbitrio, sine oratione ad Deum, gubernare voles, fiet, ut aut evertas omnia, aut perpetuo successu demeratus in graviora mala incidas. Vult timeri & coli Deus, hoc est, vult ut confiteamur nos nihil posse feliciter incipere aut gubernare sine ipsius auxilio & consilio. Hanc doctrinam utile est inculcare juventuti, ut, si qui futuri sint conjuges, discant ista & sequantur. - Exemplum nobis imitandum proponit Scriptura S. in Abrahamo & Isaaco, Genes. XXIV. (p) Papa & Canonistæ non docent nec jubent ducere, sed rapere uxores, quasi liberæ suæ potestatis sint (liberi) aut *conjunctio tam sancta* sine ordinatione Dei legitima fieri debeat. Scriptura S. inquit: *prudens uxor à Domino*. Ergo præcedat imploratio auxilii divini: Domine Deus, vides me non posse carere conjugio absque peccato, consule tu mihi, & da piam & honestam uxorem. Sicut servus hic (Eliezer) qui mittitur ab Abrahamo, oravit, & Abraham haud dubie docuit eum orare: Isaac quoque oravit. - Ante omnia ad ineundum conjugii fœdus necessaria est invocatio Dei, ut is uxorem

exemplum
Patriarcharum imi-
tandum.

uxorem aut maritum deligat, ac donet: id si fiet, sequitur benedictio Dei, & omnia secundum conjugio, dat Dominus marito hanc gratiam, ut patientiam habeat, & boni consulat infirmitatem uxoris, & ipsa vicissim se possit accommodare moribus mariti. Econtra, ubi non accedit timor Dei, & invocatio, facillime incidunt offensiones; unde oriuntur odia, rixæ, inimicitiae & similitudines perpetuae. Si vis igitur divina benedictione contrahere matrimonium, primum omnium require consilium Domini, & ora: Domine Deus, da uxorem, & panem quotidianum, illis precibus favet Deus, & respondet, feci te masculum, & foemellam, cur non te alerem? tu tantum ab injustis rapinis & furtis abstinero. Conjugium igitur est, ubi masculus & foemella junguntur divinitus, & certa Dei voluntate, & conjuges, qui hæc norunt, facillime ferunt & vincunt quicquid incommodorum objicitur. Ita prima & summa benedictio est, si noveris divina voluntate te ingressum conjugium, necessitate coactum ad vitandum peccatum duxisse uxorem. Deinde quicquid Deus largitur, illis bonis omnibus verum nomen indas, & dicas, hunc filium aut filiam dedit mihi Dominus, hunc agrum, pratum, vaccam, capram Deus dedit, est benedictio divina. Id sane pulcherrimum & foelicissimum conjugium est, in quo & mensæ & thoro inscriptum est: favor, voluntas, beneplacitum Dei. Hæ veræ & immensæ opes sunt, tales benedictiones in canonibus non invenies. Sic Patriarcha Jacob in fratribus dicit: *isti sunt filii, quos dedit mihi Deus*, singulati nimirum favore & benedictione. Hi enim intelligunt & agnoscunt creatorem & creaturam ejus, norunt unde ipsi orti, & unde omnia accipiant. Hæc vero non docentur in Jure nec canonico, nec civili, nec in Medicorum arte, sed in Scriptura Sacra.

(o) Tom. IV. Jen. Lat. fol. 475. b. 476. a. (p) ad Genes. XXIV. pag. 1262. seqq.

§. XIV.

§. XIV.

*Ad legiti-
mam con-
iunctionem
requiritur
consensus
parentum.*

*clandestina
sponsalia
improban-
tur, contra
Canonistas.*

Deinde ad legitimam conjunctionem requiritur *consensus Parentum*. Primus & clarus admodum locus est de officio parentum erga liberos, & vicissim liberorum erga parentes pietate & reverentia in contrahendo matrimonio, Genes. XXIV. Quæ disputatio hoc tempore ut usitata, ita odiosa maxime est, cum officia illa mutua, divino & humano jure mandata, hominum improbitate penè abolita sint. Adversantur enim nobis *Canonistæ Pontificii* acerrime. Juris civilis autem professores egregie consentiunt. Et habemus hic illustre exemplum nostræ sententiæ, tametsi nulla lex sanciat. Nam alias quidem legum autoritas non deest, non divinarum tantum, sed earum etiam, quæ bona consequentia ex fontibus juris naturæ eliciuntur, quales sunt leges & jura civilia. Stant pro nobis exempla Scripturæ, leges scriptæ, & jura. - *Isaac* non ducit uxorem, ubi ipsi liber, sed prohibetur à patre ducere *Cananæam*, & pater ipse sollicitè providet filio de uxore, filius summa voluntate obtemperat parenti. Experientia enim quotidiana testatur *clandestina illa & furtiva sponsalia* materiam esse summorum malorum, assiduarum rixarum, contentionum, perjuriorum & cædium, adeoque foedissimam pestem & turbationem Ecclesiæ & rerum civilium. Ita nihil aliud agunt *Canonistæ*, quam ut lacerent Ecclesiam, & turbent orbem terrarum, propter stultos & indoctos Canones. Tot vero mala in nostras Ecclesias & Respubl. invehere eos sineinus? Diabolus hoc ferat, nemo alius: quin potius excommunicabo ego omnes illos Doctores, quam feramus in Ecclesia nostra eorum sententias impias. Vide enim, quam nihili eorum argumentum sit, quod jactant: non possum aliter pronunciare, quia non est aliter scriptum in canonibus. Simili ratione argumentari posset Turca aut Mahometista aliquis, non possum suscipere Evangelium, quia non extat in Alcorano. - Explodendum igitur est illud argumentum vere Pa-
pale

palè de præscripto & decretis Canonum. Veram esse ajunt sententiam damnantem clancularia conjugia, sed diversum statutibus canonibus esse repudiandum. Horrendæ voces sunt &c. - Nos ideo tam diligenter urgemus auctoritatem parentum, *Rationes* primum propter mandatum & ordinationem Dei, exempla *nostra sententia.* Scripturæ, & leges civiles. Deinde propter insignem illam improbitatem, quæ omnibus ætatibus in mundo grassata est, piis & honestis parentibus admodum gravis, quando liberos pie & honeste educarunt, ut essent hæredes paternorum bonorum; postea ipsis insciis & invitis inventi sunt, qui virgines & adolescentes honestos fraudibus & dolis circumvenirent, ut conjungerent se furtim cum iis, qui & parum honesti, & ipsis indigni, & parentibus ingratiissimi erant. Hisce flagitiis *Papa fenestram* & januam patēfecit, & aditum fecit lenonibus, ut possint furari mihi, tibi, & singulis nobis filios & filias. Hæcne ferenda aut defendenda putabimus? Atque custodiendos liberos, & curam eorum diligenter gerendam ajunt. Quomodo potest id fieri in tanta malitia & perversitate hominum? Quam facile corrumpitur, & in fraudem illicitur simplex animus? Meminerint igitur parentes jus & auctoritatem elocandi liberos sibi divinitus attributam esse: nec rata esse sponsalia sine ipsorum consensu facta, nec divino, nec humano jure. Deinde, liberi sciant se hanc reverentiam debere piis parentibus, ut eorum consilium requirant, & voluntatem explorent. Adolescens, cujus ætas idonea est conjugio, non vereatur animum suum aperire parentibus: amare se honestam puellam, & rogare, ut dent sibi eam in uxorem. Quanquam enim videtur significatio esse libidinis parum verecunda, sciant tamen divinam clementiam regere eam in conjugio, & addidisse remedium huic morbo. Humilient igitur sese coram parentibus, & ingenue dicant: mi pater, mea mater, da mihi illum adolescentem, aut virginem, quam amo. Quod si digna est conjunctione aut affinitate tua aut parentum, non

Ccc ccc

deng-

denegabunt honesti parentes, etiamsi dos aut opes non respondeant. Talia conjugia non possunt non esse foelicia & fortunata, ac Deus immensa bonitate benedicit, indulget, & regit tanquam operculo conjugii, ardorem libidinis. Quin etiam Scriptura S. approbat, & adducit pro exemplo amorem & vocem sponsi & sponsæ. Ita turpitudinem, in qua nati sumus, & miseram libidinem condonat Deus, quin & ornat & cohonestat licitis nuptiis.

Ad Genes. XXIV. pag. 121. seqq.

§. XV.

*Parentes
non cogant
liberos.*

Non frustra toties inculco & moneo, quæ via ad rem tantam & tam sanctam aggrediendum sit, ut conservetur auctoritas parentum & reverentia erga eos liberorum. Filius aut filia ab iis consilium petat, qui & consilio, & divina institutione & benedictione Dei consulere possunt: *Parentes* vicissim non sint duri & asperi, non urgeant liberos, ut contrahant cum iis, quos non amant, nec temere ab amore honestorum abstrahant, nisi elegerint se indignos: meminerint *sogyns* & inclinationis, divinitus inditæ, nec repugnent honesto amor. Sic parentes Simson cum filium mulierem Philistinam amare intelligerent, & ipse peteret eam sibi uxorem dari, permittunt ut ducat eam, quamvis gentilem. - In *lege Moysi* adeo severe fuerunt interdicta & damnata clandestina sponsalia, ut licuerit ea parentibus rescindere & dirimere, etiamsi accessisset copula. Illud jus tamen nos sequi nec possumus, nec debemus, non enim ligant nos forensia & iudicia legis Mosaicæ, tamen est jus scripturæ & promulgatum divinitus, cujus exemplo & testimonio nostra sententia potenter confirmatur. Deinde pro nobis est jus civile, cui ex æquo parere Canonistæ, & omnes huic imperio subditi debebant.

Ad Genes. XXIV. pag. 1263. seq. Conf. Tom. II. Alt. p. 386. b. 387. a.

§. XVI.

§. XVI.

Deinde requiritur etiam consensus sponsi & sponsæ liber: *Consensus*
 Spiritus S. Genes. XXIV. non frustra tam diligenter parentum, *sponsi &*
 sponsi item & sponsæ voluntatem & consensum exprimit. Ac *sponsæ*
 propterea prædicatio (à servo) instituta est, & omnes circum-
 stantiæ colliguntur, ut animus puellæ exploretur, ne videatur
 coacta nubere ei, quem aversetur. - Accedat ergo, ad præca-
 vendas technas & errores, consensus mutuus parentum ab utra-
 que parte, mutua notitia personarum, sponsi & sponsæ, ut vere
 ratum esse & confirmari matrimonium possit, & non necesse sit
 ob qualemcunque conditionem aut errorem dirimere. Proinde
 damnanda sunt furtiva sponsalia, tanquam lerna infinitorum
 malorum, quæ mala omnia ut possimus cavere, pulcherrimum
 ordinem monstravit Deus, videlicet, ut jungantur connubia de
 consilio & consensu parentum, ac sponsi & sponsæ. Porro ne
 jure suo abutantur parentes, & tyrannidem in liberos exer-
 ceant, supra monuimus. - Antequam discedat (puella) vocant
 eam, & interrogant: vis ire cum viro illo? Sic igitur fiat con-
 jugium, ut habeamus Deum præsentem, qui condidit id ad in-
 finitos usus bonos, & conjungit ipse conjuges; neque tantum
 est copulator, sed etiam benedictor. Requirit autem consen-
 sum cum parentum, tum puellæ, ut sit legitima & vere divina
 conjunctio.

Ad Genes. l. c. pag. 1368. seq. & pag. 1385.

§. XVII.

In Epistola vel libello de causis matrimonialibus, in gratiam *Refellit Ca-*
 pastoris cujusdam scripto, prolixè Noster argumentum de clan- *nonistarum*
 destinis sponsalibus tractat per *quinque articulos*, ut vocat. *argumentū*
 I. Quod clandestina sponsalia simpliciter non faciant matrimo- *de favora-*
 nium. II. Quod ea publicis cedere debeant. III. Quod inter *bilibus,*
 duo sponsalia publica, posteriora prioribus cedere & puniri de-
 beant. IV. Quod si quis post publica sponsalia aliam tangit &

Ccc ccc 2

cum

cum ea concumbit, sub promissione nuptiarum, & ut priora sponsalia dissolvat, pro adultero habendus sit. V. Quod coacta sponsalia irrita sint. Inter alia autem refellit *Canonistarum* refugium de favorabilibus, urgentium effectum illud tritum: *in causis matrimonii semper est judicandum pro matrimonio*, quod avide illi arripuerint, & eo mox traxerint, ut pro conjugio decreverint, ubi vel semellam occasionis causæve invenerunt, interim jus & bonam conscientiam, quæ favorabiliora & meliora sunt, quam matrimonium, neglexerint. Similiter observat eos lusisse cum verbis de presenti & de futuro, & hac distinctione multa matrimonia legitima solvisse, ac illegitima ligasse, cum sponsalia verbis, *ducam, accipiam te in uxorem, mea eris, ich will dich haben* / & similibus, expressa vel concepta, plerumque sponsalia de futuro vocaverint; de presenti autem, quæ concipiuntur per verba de presenti, ut *accipio te in uxorem, ducō te, vel do tibi in uxorem*. Non, inquit, animadvertunt, quod Germani de presenti tempore intelligant formulas in futuro conceptas: *ego volo te habere, & accipiam te*. Nescirem fane ipse, quomodo servus vel ancilla possint debeantque in Germanica lingua per verba de futuro se desponsare; utcumque enim desponsatio fiat, verba de presenti sonant: vulgus præfertim nihil novit de illa Grammatica, quod *accipio* & *accipiam* diversa sint, sed ex indole sermonis dicit: *ich will dich haben / ich will dich nehmen / du solst mein seyn* &c. Si quærat de distinctionis hujus ad bonum sensum accommodatione, non negat Lutherus eam dari posse, ac concedit sponsalia de futuro dici posse, si conditio aliqua fuerit adjecta, ut *ducam te, si expectaveris annum, vel biennium, si centum florenos pro dote attuleris*; item, *si parentes consenserint*. Putat tamen, si sponsalia clandestina prorsus tollantur, non opus esse hac quæstione, quia publica sponsalia per verba de presenti fiant, & de sponsalibus per verba de futuro nil certi definiti queat. Tandem etiam ad funda-

Et distin-
ctionem in-
ter sponsalia
de presenti
& de futu-
ro.

fundamentum, quo nituntur Canonistæ, & conscientias ter-
rent, respondet. Adducunt enim illi verba Christi Matth. ^{Abusus Ca-}
XIX. 6. *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, dicuntque, ^{nonistar. di-}
Deum eos conjunxisse, qui sponsalia clandestina contraxerunt. ^{eti, quod}
Verum regerit Noster 1. hac ratione effici quoque posse, neque ^{Dens con-}
adulterum & adulteram separari debere, quia Deus eos con- ^{junxit &c.}
junxerit, cum constet, eos sine Deo ne ad momentum quidem
vivere, multo minus conjungi posse. Similiter de fure & fur-
to dicendum & sic omne malum impunitum fore, tandemque
in Deum causam redundaturum. 2. Explicat verba (*quæ Deus duplex est*
conjunxit) observatque, non dici: quicquid seipsum conjungit, *conjunctio.*
sed quod Deus conjungit. Conjunctionem igitur duplicem es-
se, unam à Deo, alteram sine Deo fieri: illam vocari, quæ fiat
secundum Dei verbum & mandatum per nos: hanc, quæ sine
verbo & mandato Dei per nos fiat. Sponsalia autem clandesti-
na non habere verbum Dei pro se, sed potius contra se, & pu-
gnare cum quarto præcepto. Addit tamen, hæc non eo trahi
debere, ac si liceat iis qui sponsalia clandestina contraxerunt, &
in matrimonio vivunt, se separare, vel morosis & rixosis con-
jugibus sub hoc prætextu, quod ipsorum conjunctio non sit di-
vina, rescindere conjugium: sed eos conjunctos vivere & ve-
niam erroris à Deo petere debere.

Tom. II. Ale. pag. 374. b. - 377.

§. XVIII.

Porro legitima est conjunctio quæ fit inter personas, justæ ætatis, justæ
ætatis. Scriptura S. dicit (q) Isaac *quadragenarium* duxisse Re- ^{qualis post}
beccam; significat enim eum non duxisse uxorem in primo illo ^{diluvium?}
ardore adolescentiæ, sed perstitisse aliquandiu in pugna & vi-
ctoria contra carnem & diabolum. - Videtur autem fuisse eo
tempore usitatum, ut adolescentes non ducerent uxores ante
quadragesimum annum, puellæ vero decennio minores nube-
rent, ut supra in Sara vidimus. Rebeccam quoque judicio fuisse

Ccc ccc 3

trigun-

triginta annorum. Post diluvium fere omnes patres circa annum trigessimum vel quadragesimum duxerunt uxores. Ante diluvium tardius, expectaverunt usque ad centum, octoaginta, & nonaginta annos. Post diluvium festinavit Deus ad multiplicationem generis humani, ideo abbreviatum est tempus, ita ut masculi quadragesimo anno, foemellæ trigesimo conjugia inirent. Fuit igitur seculum illud longe melius & præstantius quam nostrum. Nos putamus hoc malum explendo libidinem mitigari, scortationibus, & adulteriis; sed ita prorsus in bestias degenerant homines, & fiunt ad omnia bona opera inepti. Si in conjugium irruunt temere, & sine certa ratione præscripta divinitus, non ducunt uxores, sed poenam, & perpetuam molestiam, quia sine invocatione & timore Dei fuerunt, quod prohibet Deus, quando inquit: non assumes nomen Domini Dei tui in vanum, item: invoca me in die tribulationis. (r) *Jura civilia* masculis *quatuordecim* annos, puellis autem *duodecim* ad maturitatem conjugii tribuunt. Sed ea ætate ne quidem vivere se, aut puellas esse sentiunt. Ideo non servamus hodie has metas. Et ut maxime tum matura conjugio haberetur *Dina*, tamen appellatur in textu *Jaldah*, infantula. Quia non fuit consuetudo puellas tam cito elocare. Sic enim supra de Rebecca audivimus fuisse eam circiter triginta annorum, cum nuberet Isaac. Deinde natura hominum non tantum hac extrema secta mundi facta est languidior & imbecillior, sed etiam intemperantia in victu, inclementia cœli, aëris, locorum, in quibus degimus, valde debilitata est. Ideo fit ut ante tempus senescamus, & variis morbis adfligantur corpora nostra. - Ideo 24. anno demum masculus robur corporis idoneum conjugio & rebus gerendis acquirit: puella autem 17. aut 18. ad ferendos labores partus. In Tract. vom *Ehelichen Leben* (s) sive de *Matrimonio* suadet, ut is, qui se non aptum ad castitatem videt, mature prospiciat de laboribus, & deinceps matrimonium ineat, masculus,

*secundum
ius civile,
quod raro
servatur.*

*Lutheri sen-
tentia.*

culus, si viginti, puella, si quindecim vel octodecim annos at-
tigerint.

(q) in Genes. XXV. pag. 24. 27. (r) ad Genes. pag. 1015. seq. (3)
Tom. II. Alt. pag. 219 b.

§. XIX.

Ex definitione conjugii, supra adducta (§. IV.) pater, con- *Polygamia*
jungi non nisi duas personas legitime, ex primæva institutione, *est contra*
& institutionis divinæ in N. T. repetitione & confirmatione, *primam in-*
Matth. XIX. 4. seqq. Ei igitur adversatur *Polygamia*. Lutherus *stitutionem.*
in Epistola ad *Philippum*, Hassiæ Landgravium, (t) mentem suam
fatis perspicue expressit sequentem in modum: Deus sic instituit
Matrimonium, ut *tantum duorum societas & conjunctio sit,*
quamdiu ambo vixerint, non vero plurium. Hocque vult di-
ctum: *erunt duo in carnem unam.* Hoc ab initio observatum
fuit. *Lamech* autem introduxit exemplum plures habendi fœ-
minas; quod in Scriptura memoratur tanquam introductio
(eine Einführung) contra primam regulam. Deinde apud infide-
les mos iste receptus & vulgatus fuit, donec *Abrahamus* ejusque
posteriores plures duxerunt uxores. Ac verum utique est, quod in
lege hoc indultum fuerit, ut est Deuter. XXI. *si habuerit homo*
duas uxores &c. Quia vero primo initio & creationi convenit,
ut vir non nisi unam habeat uxorem, ista lex laudabilis in Ec-
clesia recepta fuit, nec alia lex contra eam decernenda & sta-
bilienda. Christus enim repetit hoc dictum Matth. XIX. *& e-*
runt duo in carne una. Si vero in casu quodam dispensatio fie-
ret, ut si qui inter exterarum nationum capri uxores duxissent, &
deinceps dimissi uxores secum ferrent; vel si morbus diuturnus
causam præberet, v. g. lepra uxoris, ut maritus communicato
cum pastore suo consilio aliam superinduceret conjugem, non
ut novam legem induceret, sed suæ necessitati tantum consule-
ret, id damnare nollemus. Polygamiam Patrum in Enarrat. in *Exempla*
Genesis (u) excusat, ut *Abrahami* Genes. XVI. ubi notat, non co- *Abrahami*
gita-

gitationes libidinis, sed anxiam seminis expectationem torfisse animos sanctorum conjugum; *Saram* in summa humilitate maternitatis gloriam sua sponte resignasse, & contentam fuisse, si *Hagar* ancilla ex marito fiat gravida, & retinuisse fidem & spem misericordiae divinae: *Abrahamum* quoque, cum se usitato exemplo tueri & aliam ducere potuisset, (*Polygamia* enim tum in usu erat) tamen id non fecisse, nisi uxore iubente, eique acquievisse, quæ hoc consilio ancillam adjunxerit, ut ipsa maneat mater & domina, ac habeat promissum semen, si non naturale, tamen legitimum. *Ex hoc tamen facto*, inquit, *non est concludendum exemplum*, quasi nobis eadem liceat facere. Circumstantiæ enim considerandæ sunt. Nobis non est facta promissio seminis, sicut *Abrahæ*, & ut maxime habeas sterile conjugium, nihil inde periculi est, etiamsi tota tua progenies, ita volente Domino, occidat. *Abraham* autem non solum habebat promissionem seminis, sed constabat quoque *Saram* esse sterilem. Hæ circumstantiæ apud te non habent locum. Igitur *singulare hoc* horum conjugum *factum ne utiquam in exemplum est trahendum, præsertim in Novo Testam.* Nam vetus Testam. *Polygamiam* etiam liberorum causa permisit. Et extat in *Mose* lex: *si quis vitia verit ancillam, ut eam retineat uxorem*, sed ista ceremonialia, seu legalia cessarunt: & *Abrahæ* casus longe alius est, quam ille, qui apud *Mosen* extat. Ad Caput XXX. (x) de *Jacobi* exemplo duas uxores ducenti, & insuper cum duabus earum ancillis rem habenti, itidem observat, quod Patriarcha continenter vixerit, & temperanter usus sit uxoribus & ancillis, quia prolis amore tantum cum eis habuerit consuetudinem, quod ex sollicitis mulierum votis appareat, quæ anxie ipsum ambierint, ut prolem habere possint. - Videri enim illa ætate morem fuisse ejus regionis, ut uxores steriles traderent maritis ancillas: & *Labanem* utrique filia ancillam addidisse, forsan in eum eventum, si filia non pareretur, ut succederet ancilla, ex qua ædificaretur domus. Sic supra *Saram*

¶ *Jacobi*
non sunt
trahenda ad
consequen-
tiam.

Saram dedisse ancillam Abrahamæ, non alienam, sed ex domo & familia sua. Isaacum non secutum hunc morem, neque Jacobum eum usurpaturum fuisse, nisi à Laban deceptus esset, & mulierculæ tantopere flagitassent. Rursus tamen subjungit hoc monitum: *exemplum aut factum hoc Jacobi non trahi debet in consequentiam.* Non est, quod dicat aliquis: fecit hoc Jacob; ergo mihi quoque licebit. Sicut de *Monetario* dictum est, hortante rusticos, ut ad exemplum Josuæ & Simsonis principes trucidarent. Sed memineris tibi manendum esse in hac regula: *unusquisque suam uxorem habeat.* Si vis esse similis Josuæ & Simsoni, fac etiam ut circumstantiæ omnes, te ad mutationem Rerum publicarum, & eadem Magistratus impellant, sicut illi heroes singulari vocatione moti sunt. Alioqui exemplum non valet; quia habes plura & majora exempla, quæ testantur non occidendum esse Magistratum, non esse mutandas Respublicas. Hæc itaque traduntur *non in exemplum, sed ut abstineamus ab exemplo, & imitatione.* Admiremur ea, sed non imitemur. Alia enim sunt, quæ imitari, alia quæ admirari debemus. Spera, crede, invoca, sicut Lea. Non autem quatuor uxores ducas, sicut Jacob. Id enim ad solum Jacob pertinet, & ad eos, quos voluit Deus exemptos esse à regula. Nos in fide, patientia, & spe in patribus proposita exerceamur, & ab heroicis illis exemplis abstineamus.

(t) *Tom. VIII. Alt. p. 976. b. 977. a.* (u) *Tom. II. p. 358. seqq.* (x) *Tom. III. pag. 619. ff.*

§. XX.

Ex his facile constat, quid responderi queat debeatve Pontificiorum
 tificiis, Lutheri tribuentibus, quod inter alios errores etiam *calumnia*,
 hunc, quod duas simul conjuges in Christianismo habere liceat, *Lutherum*
 ab inferis revocare conatus fuerit. *Bellarminus* ut id probet de *Polygamia*
Matrimon. Cap. X. tria loca adducit. 1. Ex *Propositionibus* de *assertorem*
Digamia Episcoporum, propos. 65. & 66. Nota sunt jura Mosaica *statuentiâ,*
retrundun-

Ddd ddd

de sur.

de fratris defuncti uxore & de filia corrupta invito patre, quæ cogunt plurimum esse uxorum virum, *quæ non magis sunt abrogata, quam reliqua omnia*, id est, libera, nec prohibita, nec præcepta. 2. Ex iisdem propositionibus thes. 62. & seqq. ubi dicit, apud Ethnicos fortasse scandalum fore, si Christianus plures uxores habeat, tamen *inter Judæos non esse scandalum & ideo non posse ostendi, id esse illicitum*. Ex quo Bellarm. colligit, quia in tota Europa & Africa vixulli sunt cum Christianis Ethnici, sed tantum Judæi & Mahumetani, quibus uxorum multitudinem Pseudopropheta concessit, secundum Lutheri sententiam licitum fore in his omnibus regionibus uxores multas ducere. 3. Ex *Comment. in Genes. Cap. XVI.* ubi non obiter, sed ex professo disputat, utrum Christianis liceat *exemplo Abrahamæ* plures simul uxores habere, ac tandem respondet, *id esse neque præceptum, neque prohibitum, sed liberum*, & se quidem nolle hanc novam consuetudinem introducere, sed nec improbare posse, cum exempla Patrum adhuc sunt libera. Pistorius in Luthero septicipite idem repetit, & addit, *Lutherum consensisse in polygamiam simultaneam* alicujus Principis Augustanæ Confessioni addicti. Alios brevitatis gratia omitto, qui calumniam istam repetunt, licet sæpius retusam à Nostreis. Ex *Propositionibus*, mox plenius adducendis, patet, Megalandri scopum esse, demonstrare, bigamiam, non simultaneam, sed successivam, Ministris Ecclesiæ esse licitam. Dein, ex antecedentibus & consequentibus colligitur, non absolute sed *problematicæ & hypotheticæ* Lutherum loqui. *Dato*, inquit thesi 62. seqq. *& nondum concesso*, inter gentes pro crimine & scandalo cenferi pluralitatem uxorum Mosaica lege statutam; ut inter gentes liberas à lege Moysis, propter scandalum apud eas, Episcopus unius uxoris vir esse cogatur: tamen inter Judæos hoc instituto Episcopum ligari, non potest certo demonstrari. Siquidem nota sunt jura Mosaica &c. Propos. 67. subjicit: *nisi permissam illam pluralitatem prohiberi*
dixe-

dixeris, quæ ex repudio venit, etiam à Christo revocatam & damnatam. Alioqui nullam pluralitatem uxorum prohiberi diceret talis Episcopus, nisi quæ non coacta per legem, aut vulgata per usum, sed quæ libidine peteretur. Quomodo *Abrahamum* excuset, ejusque factum nolit in exemplum trahi in N. T. ipsius verbis indicavimus. His addam, quæ A. 1528. in Explicatione Germanica Geneseos Cap. XVI. de hoc argumento disputavit, ubi, postquam dixit, historiam præsentem respiciendam esse tanquam Dei historiam, nec ulli fas esse eam redarguere, ac Abrahamum vixisse Evangelice & Christiane in spiritu Dei & fide, subdit, quæri posse, quia prohibita fuerit polygamia, *quomodo defendi queat, ut ipse maneat Christianus?* Simplicissime autem responderi posse ait, polygamiam in Evangelio esse sublatam, verbis Christi Matth. XIX. 4. *in principio non erat sic*, & Pauli I. Cor. VII. 2. *quilibet habeat uxorem suam, & qualibet maritum suum*. Postea, ut B. Gerhardus quoque dudum in L. de Conjugio §. 204. observavit, ab hypothese, à facto scilicet Abrahamæ descendit ad thesin, & repudium à Christo & Apostolo in N. T. sublatum ad evitandum majus malum concedere videtur, tandemque ita colligit: *wo nicht Christen sondern Heydnische Leute sind / wolte ich noch / daß man dem Gesetz nach thäte vom Scheiden / daß einer ein Weib möchte von sich thun und eine andere nehmen / sed diserte addit, Christum hoc abrogasse Matth. XIX. 8.9. & Paulum I. Cor. VII. 10. 11. & Christum non audientibus esse satius legem Moysis observare, aber dabey müste man ihnen sagen / daß sie nimmer Christen wären / sondern im Heydnischen Regiment / bistu aber ein Christ / mustu dich nicht scheiden*. De polygamia ibidem subiungit, se quidem eam non posse adhuc hodie prohibere; interim tamen addit, *se nolle cuiquam ejus auctore esse, rathen wolte ichs nicht*: tandem concludit, hæc omnia eo pertinere, ut de solido responso, *Manichaorum* calumniis, quibus Patriarcharum facta insectantur, opponendo mature cogitemus. *Bellarminus*

Ddd ddd 2

ipse

ipse hunc fere in modum de polygamia disputat, quemadmodum ex Cap. XI. quo argumentum solvere conatur ex Patriarcharum exemplo ductum, ostendi posset, si opus prolixitate esset.

Tom. IV. Altenb. pag. 110.

§. XXI.

De secundis
nuptiis;
quod sint li-
cita,

Secunda tamen *nuptia*, sive *Polygamia successiva*, non dam-
nantur, aut prohibentur, sed licitæ sunt, extatque præclarum
Abrahami exemplum, post mortem *Saræ Keturam* ducentis,
Genes. XXV. (y) Nam præterquam quod amore prolis acqui-
rendæ hoc fecit, præsertim cum audivisset in promissione: *con-*
stitui te patrem multorum, non solum *Isaac*, sed multarum gen-
tium, quibus multiplicaturus eum esset Deus, non solum spiri-
tualiter, sed etiam corporaliter, singulare consilium Dei hoc
loco apparet. Spiritus S. enim qui longe ante prospicit, & præ-
videt futuros errores, studet eos præcavere & refutare: ut sci-
licet hæretici pudore suffunderentur, qui aliquando damnatu-
ri erant secundas nuptias, quorum unus est *Hieronymus*, qui se-
cundas nuptias adeo vituperat, ut pro adulterio habeat. Pro-
posuit igitur hoc loco *exemplum* & testimonium insigne suæ
voluntatis Deus, quod *non damnet secundas nuptias*, quæ fiunt
mortua prima conjuge, quin potius jussit per Patriarcham
suum *Sem*, ut senex decrepitus duceret uxorem. Et videtur hoc
voluisse docere & testari Deus, sibi mirabiliter gratam esse ge-
nerationem prolis, ut sentiamus eum tueri & defendere verbum
suum, *crescite*. Non est inimicus proli, sicut nos, quorum
multi non quærunt prolem. Sed Deus adeo urget suum verbum,
ut aliquando det prolem etiam iis, qui non expetunt, imo ode-
runt: nisi quod aliquibus interdum vehementer expetentibus
tentandi causa non dat. Et quod magis est, ita videtur urgere
generationem, ut etiam adulteris & scortatoribus nascantur fi-
lii contra voluntatem ipsorum.

Edidit

Edidit Noster A. 1528. *Propositiones de Digamia Episcoporum* etiam *Episcoporum*, oppositas *Conclusionibus*, quas anonymus sparserat contra *scopis* 1. *Digamiam Episcoporum*, (2) satis virulentas peneque seditiosas, in *Tim. III. 2.* quibus asseruit Lutherus, Paulum 1. Tim. III. 2. verbis *unius uxoris vir*, nihil aliud declarare voluisse, quam ne limites honesti conjugii & thori immaculati transgrediatur, sed una & sua uxore contentus sit, ne aut virgines vitiet, aut alienas permolat uxores, aut cum quavis scortetur; ut *unius uxoris vir* idem sit quod illud 1. Cor. VII. 2. *unusquisque uxorem suam habeat*. Sic unitate uxoris simul Christianam nubendi libertatem Episcopis confirmasse, magis tamen vagam libidinis licentiam ex verbo prohibuisse, ac studio praevenire voluisse daemoniacas doctrinas eorum, qui essent Episcopis nuptias prohiberi. Ideo visum esse Spiritui sic dicere potius: *vir unius uxoris*, quam sic: ne sit adulter, scortator, aut immundus; nec enim defuisse Paulo etiam h. l. vocem *Monogami*, si *Digamos* voluisset damnare, sed studiose eum vitasse vocem, & unius uxoris virum maluisse dicere, ut non de singularitate conjugii aut nuptiarum, sed de singularitate mulieris seu uxoris cogeret se intelligi. Vocabulum enim *unius* non tam *affirmative* quam *negative* necessario accipi. Si enim affirmativum esset preceptum, non liceret unquam Episcopum cœlibem esse, sed necessario unius semper uxoris virum. Nec Paulus dicit: oportet Episcopum fuisse unius uxoris virum, sed esse oportet unius, inquit, uxoris virum. Stat igitur, Pauli verbum magis esse negativum, non de *Digamia*, sed de vaga libidine prohibenda. Si aliud his verbis extorquetur, necesse est, violentum, dubium, infidumque pro fulcienda conscientia extorqueri. Imo falsum esse convincet vel unica hæc vox, ἀνεγκλιτος, hoc est, *inaccusabilis*, quo verbo necesse est crimen prohiberi, quod gentes offendant, & malæ sit apud eas speciei. Nunquam vero factum aut auditum est *Digamos* apud gentes criminosos, ac non potius ho-

Ddd ddd 3

nora-

noratos haberi. Simul constar, *Digamiam opus Dei* esse, à Paulo probatum, & in benedictione Dei Genes. I. comprehensum. Si vero scandalum est, apud impios Papistas scandalum est, quibus omnia verba & opera Dei nihil nisi scandalum sunt. Huc valet ipsiusmet Pauli exemplum, qui sese inter viduos numerat 1. Cor. VII. 7. dicens, *eos velle omnes esse sicut seipsum*; & tamen 1. Cor. IX. 5. sibi & Barnabæ copiam facit *sororculæ uxoris circumducendæ*, exemplo aliorum Apostolorum. Quæ copia nihil esset, frustra jactata, si *Digamia* prohiberet Apostolum aut Episcopum esse. Et ipse *Hieronymus*, alioqui nuptiarum secundarum pene hostis, tamen defendit Episcopum illum Hispanum, qui *Digamus* fuerat. Et recte colligit, si scortator multorum scortorum vir, potest fieri Episcopus, non prohiberi meliorem unius secundæ uxoriculæ maritum. Nec *S. Augustini* contraria sententia, licet recepta, quidquam habet momenti, quæ dicit, Episcopum debere Christum unius Ecclesiæ sponsum representare. Eadem ratione quilibet conjunx cogetur monogamus esse, cum totum conjugium (Ephes. VI.) Christum & Ecclesiam representet. Quin virginem cogeretur Episcopus servare suam uxorem, ut Christo virginis Ecclesiæ sponso responderet. Simul & repudiare aliquam priorem teneretur, sicut Christus repudiavit Synagogam. Deinde mortua uxore, quæ forma erit *agamus* (*ἀγαμος*) Episcopus, Christo Ecclesiæ viro similis? Si igitur necesse esset symbolum Christi & Ecclesiæ præstari, fatis in singularitate uxoris, etiam à *Digamo* & *trigamo* præstaretur.

(y) *Tom. II. pag. 1293. seqq.* (z) *Tom. I. Jen. Lat. fol. 531. b. -- 534. a.*

§. XXII.

de gradibus
prohibitis.

De Matrimonii impedimentis & gradibus prohibitis multa dici possent, si prolixioribus esse liceret. *Lutherus* in primo scripto de vita conjugali A. 1522. edito (a) in ea sententia fuit, prohibitionem Lev. XVIII. ad personas duntaxat pertinere, non ad gradus,

gradus, ut Juristæ computant. Postea tamen A. 1530. in scripto (b) *de causis matrimonialibus*, mentem suam revocavit, & prohibitiones Molaicas ad gradus reduxit, & disertis verbis ait, ratione cognationis & graduum ita se sentire, ut omnino jus civile hic observetur; vel, si secundum jus Canonicum tertius & quartus gradus prohibiti censeantur, se non refragari, modo illis, qui conjugium in gradibus istiusmodi contraxerunt, aut adhuc contracturi sint, conscientia scrupulus coram Deo non moveatur, præsertim si honesti & pii homines sint, cum nec imperatorium nec divinum jus prohibeat, ac certum sit, Pontifices & Ecclesiasticos istam prohibitionem non servare, sed pro pecunia dispensare. Tandem in ultimo scripto, Enarrat. in Genes. (c) h. m. respondet ad quæstionem, *quomodo Abraham dicat Saram filiam sui patris Thare?* proximum est, ut statuamus, fuisse privignam Haran, qui siquidem mortuus est ante patrem Thare, Sara in domum Thare translata ibique educata est, atque inde vocata Tharæ filia, ut neque naturalis, neque legitima Haran filia fuerit, sed cum nuptiis viduæ adscita. Atque si hanc sententiam sequimur, præcisa jam est disputatio, *an potuerit Abraham fratris filiam ducere?* Nam fratris privignam ducere, lege non prohibitum est. Ad quæ verba B. *Gerhardus* hanc addit episcrin: Atqui si *Lutherus* adhuc in ista sententia perstitisset, lege divina non esse prohibitum ducere fratris filiam, cum ad personas duntaxat non gradus pertineat prohibitio, non fuisset opus de commoda responsione Abraham ac Saræ nuptiis adhibenda. Posteriora proinde Lutheri scripta derogant prioribus. Ignoscendum autem Luthero, qui in hanc sententiam, quod personæ duntaxat in Levitico prohibeantur, pertractus fuit ex implis Patriarcharum.

(a) *Tom. II. Alt. pag. 210. b.* (b) *Tom. V. Alt. p. 391. a.* (c) in *Genes. XX. pag. 872. seq.*

§. XXIII.

Impedimen-
ta extra
Scripturam
S. à Pontif.
ficta, rejecta.

Alia impedimenta extra Scripturam S. parum sunt attendenda: *Lutherus* graviter invehitur Tr. de captivitate Babyl. in Romanorum tyrannorum temeritatem, pro libidine sua dirimentium cogentium matrimonia, ac meminit *Summa Angelica*, quæ verius sit summa plusquam diabolica, ubi *decem & octo matrimonii impedimenta* numerentur, quæ si æquo & libero fidei oculo inspiciantur, de numero eorum esse deprehendantur, de quibus Apostolus prædixerit 1. Tim. IV. 3. *erunt attendentes spiritibus demoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, prohibentium nubere.* Observat quoque, istas leges hominum non videri alia causa natas, nisi ut aliquando essent avaris hominibus rapacibusque Nimbrotis retia pecuniarum & laquei animarum, staretque in Ecclesia Dei loco sancto abominatio ista, quæ venderet hominibus publice utriusque sexus pudibunda, seu (ut Scriptura vocat) ignominias & turpitudines, quas tamen antea per vim legum suarum rapuissent. Quare monet rogatque omnes sacerdotes & fratres, si viderint aliquod impedimentum, in quo Papa potest dispensare, & quod non in Scriptura est expressum, ut ea matrimonia confirmet, quæ contra Ecclesiasticas tyrannicas vel Pontificias leges fuerint contracta. Arment autem se lege divina, dicente: *quod Deus conjunxit, homo non separet.* Conjunctio enim viri & mulieris est juris divini, quæ tenet, quocunque modo contra leges hominum contigerit, debentque leges hominum ei cedere, sine ullo scrupulo. Si enim homo relinquit patrem & matrem, & adhæret uxori suæ, quanto magis conculcabit frivolas & iniquas leges hominum, ut adhæreat uxori suæ. Et Papa, vel Episcopus, vel Officialis, si dissolverit aliquod matrimonium, contra legem Papalem contractum, *Antichristus* est, & violator naturæ, & reus læsæ majestatis divinæ, quia stat sententia: *quod Deus conjunxit, homo non separet.* Adde his, quod homo non habuit

habuit jus leges tales condendi, & Christianis per Christum libertas donata est super omnes leges hominum, maxime ubi lex divina intercedit. Deinde, quod tales *leges prædamnatae* sunt per Paulum, ubi prohibentes nubere futuros esse prædixit. Quare hic moderari debet rigor ille *impedimentorum*. Ita debent istæ *Cognatio nuda compaternitatum, commaternitatum, confraternitatum, conspiritalis fororitarum, & consiliatarum* prorsus extingui contracto *matri- inanis.* monio. Quis enim istam cognitionem spiritualem invenit, nisi superstitio humana? Si non licet baptisanti aut levanti baptisatam aut levatam ducere, cur licet Christiano Christianam ducere? An est major cognatio ista ex ceremoniis seu signo Sacramenti contracta, quam quæ ex re ipsa Sacramenti? An non Christianus est frater Christianæ sororis? An non baptisatus, baptisatæ spiritualis frater? quid insanimus? Quid si quis uxorem suam erudiat Evangelio & fide Christi, factus hoc ipso vere Pater ejus in Christo? An non liceat uxorem ejus manere? An Paulo licuisset puellam ex Corinthiis ducere, quos omnes in Christo genuisse se jactat? Vide itaque, quam sit libertas Christiana per cœcitatem humanæ superstitionis oppressa!

Nec huic impedimento consenserim, quod vocant *reli- Impedimen- gionis disparitatem*, ut nec simpliciter, nec sub conditione *con- tum dispa-* vertendi ad fidem liceat ducere non baptisatam. Quis hoc *pro- ritatis* prohibuit? Deus, an homo? Quis hominibus potestatem fecit *pro- relig.* hibendi sic nubere? Spiritus scilicet mendacium in hypocrisis loquentes, ut Paulus dicit; de quibus illud dicere oportet: narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua. Duxit Patritius gentilis *Monicam* matrem S. *Augustini* Christianam, cur non hodie liceat idem? Idem rigor stultitiæ, imo impietatis est, *impedimentum criminis*, scilicet, ubi quis duxerit prius *criminis,* pollutam adulterio, aut machinatus fuerit in mortem alterius conjugis, quo cum superstitite contrahere possit. Obsecro, unde iste rigor hominum in homines, qualem nec Deus unquam

Ecc ecc

exe-

exegit? An ignorare se simulant, Batschaba uxorem Uriæ, utroque crimine impleto, id est, præpollutam adulterio & occiso viro, tamen ductam à David sanctissimo viro? Si lex divina hæc fecit, quid faciunt homines tyranni in suos conservos?

ordinis.

Impedimentum ordinis quoque merum est hominum commentum, præsertim cum garriant, eo dirimi etiam contractum, semper suas traditiones super Dei mandata exaltantes. Ego quidem de sacerdotii ordine non iudico, qualis hodie est, sed video Paulum jubere, Episcopum unius uxoris virum esse, ideo non posse dirimi matrimonium Diaconi, Sacerdotis, Episcopi, seu cujuscunque ordinis, quanquam hoc genus sacerdotum & eos ordines non noverit Paulus, quos hodie habemus. Pereant itaque maledictæ istæ hominum traditiones, quæ non nisi ad multiplicanda pericula, peccata, mala, in Ecclesiam introierunt. Est ergo inter sacerdotem & uxorem verum & inseparabile matrimonium, mandatis divinis probatum. Quid si impii homines illud prohibeant aut dirimant mera tyrannide sua? Esto, sit illicitum apud homines, licitum tamen est apud Deum, cujus mandatum si contra hominum pugnet mandata, est præferendum.

Tom. II. Jen. Lat. fol. 295. a, b. 296. a. Conf. Tom. II. Alt. p. 210. ff.

§. XXIV.

De divortio.

Cum ex definitione Conjugii supra tradita §. V. pag. 923. constet, conjunctionem legitimam unius maris & unius feminae fieri *inseparabilem*, facile inde colligi potest, quid de *Divortio* sentiendum sit. De eo enim versatur quæstio, an licitum sit? *Ego quidem*, inquit Noster (d) *detestor divortium. sed an liceat, ipse non audeo definire.* Christus ipse princeps Pastorum Matth. V. dicit: *si quis dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam adulterari, & qui dimissam duxerit, adulterat.* Concedit ergo Christus divortium, in causa fornicationis duntaxat. Quare errare Papam necesse est, quoties divortium facit aliis causis, nec statim se tutum arbitrari debet ullus, qui pontificia illa temeris-

meri-

meritate verius quam potestate, dispensationem obtinuerit. Sed hoc admiror magis, cur cœlibem esse cogant hominem, qui divortio separatus est à conjugē sua, nec aliam ducere permittant? Si enim Christus divortium concedit in causa fornicationis, & neminem cogit esse cœlibem, & Paulus magis velit, nos nubere quam uri, videtur omnino admittere, ut in locum repudiatae aliam ducat. Quæ res utinam plane discussa & certa esset, ut posset consuli infinitis periculis eorum, qui sine culpa sua hodie cœlibes esse coguntur, hoc est, quorum uxores vel mariti aufugiunt, & conjugem relinquunt, decennio vel nunquam reversuri. Urget me & male habet hic casus, quotidianis exemplis, sive id singulari nequitia Satanæ, sive neglectu verbi Dei contingit. Ego sane, qui solus contra omnes statuere in hac re nihil possum, vehementer optarem, saltem illud 1. Cor. VII. huc aptari: quod si infidelis discedit, discedat. Non enim servituti subjectus est frater aut soror in ejusmodi. Hic Apostolus discedentem infidelem concedit dimitti, & fideli liberum facit alterum accipere. Cur non idem valeat, si fidelis, hoc est, nomine fidelis, re ipsa æque infidelis, conjugem deserat, præsertim nunquam reversurus? Ego sane nihil discriminis utrinque deprehendere possum. Credo autem, si Apostoli tempore discessor infidelis reversus denuo, aut fidelis factus, aut fideli cohabitare pollicitus fuisset, admissus non fuisset, sed & ipsi alteram ducendi potestas facta fuisset. In Tract. de vita conjugali (e) A. 1522. edito & semel iterumque citato, non nihil explicatius hoc argumentum persequitur, & tres causas se nosse ait, propter quas divortium fieri possit, 1. *impotentiam* alicujus conjugis: 2. *adulterium*: 3. *denegationem debiti conjugalis pertinacem, constantem & perpetuo durantem*. Tum, inquit, tempus est, ut maritus dicat (ad uxorem) si tu negas officium, non detrectabit alia; si uxor nolit, veniat ancilla. Sic tamen, ut maritus bis vel ter dicat, moneat, & aliis denunciēt, quo pu-

Eee eee 2

blice

bliee innotescat uxoris pertinacia, & coram Ecclesia castigetur. Quod si tum nolit, eam dimitte, & Estherem loco fastuosæ Vasthi tibi adjunge, exemplo Ahasveri. Probat hanc sententiam ex 1. Cor. VII. 4. quam *Jesuitæ* vehementer exagitant, quasi uxore debitum conjugale quovis modo denegante, maritus cum ancilla concumbere citra adulterii crimen possit. Sed hæc non fuit Megalandri mens, quia privatas & publicas admonitiones antea adhiberi & Magistratus auctoritatem accedere vult; nam addit disertis verbis: **darumb muß hic weltliche Obrigkeit das Weib zwingen/ oder umbringen.** Si renuerit, maritus raptam sibi & occisam uxorem reputare & de alia cogitare debet. Hinc patet, *Lutherum* loqui de extremæ pertinaciæ & contumaciæ casu, qui cum discessione de facto conjunctus est. *Selneccerus* in præfat. Colloq. mens. *Lutheri* apostatam *Staphylum* aliosque, ex Nostri libris ejusmodi formulas carpentes, referente *Gerhardo* L. de Conjugio §. 630. defendit, & ipsa *Lutheri* verba integre sincereque relata eum satis excusant. Alii observant, *Lutherum* in libro de causis matrimonial. (f) ab ista sententia postmodum discessisse, & nonnisi duas divortii causas enumerasse, adulterium scilicet & desertionem malitiosam. An satis certo hoc dicatur, ambigo. Nihil enim ibi lego, quod reliquas causas omnes excluderet: nec impii quidquam incommode habet prior *Lutheri* assertio, modo recte intelligatur & exponatur. In hoc ipso libro jam jam commemorato, conquestus est *Lutherus*, (p. 209. b.) adversarios suos consilium privatū, quod amico dederat, si mulier ab impotente viro decepta, quod cum eodem pacisci possit de furtivis cum ipsius consanguineis congressibus, pervertisse malitiose. Non enim, quod *B. Gerhardus* §. 663. dudum animadvertit, simpliciter, sed alternative *Lutherus* ejusmodi consilium dedit, videlicet, ut vel dissolutionem illius matrimonii per se irriti coram legitimo judice requirerent, vel impotenti, cum quo per errorem contraxerunt, utiones suas

suas revelarent & accedente ipsius consensu occultum matrimonium cum quodam ex cognatis proximis contraherent & desiderio liberorum satis facerent, vel deceptorem illum deferrent & in aliam regionem profugerent, ibidemque maritum quærerent.

(d) *Tom. II. Jen. Lat. fol. 296. a.* (e) *Tom. II. Alt. pag. 213. seq.*
(f) *Tom. V. Alt. pag. 389.*

§. XXV.

Properamus ad fines conjugii, qui ex institutione & definitione facile colliguntur. Addamus tamen nonnulla, quia non sufficit sequi definitionem in jure (g) civili positam: conjugium est conjunctio maris & feminae, individuam consuetudinem retinens. Ibi veræ differentiae & partes omisae sunt, quia rem non intelligunt, quomodo igitur recte definire possent? est tantum materialis definitio. Vera autem definitio hæc est: conjugium est divina & legitima conjunctio maris & feminae spe prolis, vel saltem vitandæ fornicationis & peccati causa ad gloriam Dei. Finis ultimus est, obedire Deo, & mederi peccato, invocare Deum, quærere, amare, educare prolem ad gloriam Dei, habitare cum uxore in timore Domini, & ferre crucem. Quod si non sequitur proles, tamen tua uxore contentus vivas, & vites vagas libidines. Proinde (h) Christiani ita se comparent, atque ita vitam suam instituunt, ut cogitent conjugium non esse temerariam aut fortuitam rem pendentem ex nostro arbitrio, & fortuito eventu, sed esse legitimam & divinam conjunctionem. Cujus rei hoc illustre argumentum est, quia creavit Deus masculum & feminam, & non solus vir, aut mulier sola nascitur: sed uterque vir & mulier. Itaque conjunctio hæc statim in prima natiuitate suam originem habet. Ac propterea vere legitima est & divina. Deinde Deus non instituit conjugium propter voluptatem & delicias carnis. Hæc non est finalis causa, sed duplex finis est conjugii: Primus, ut sit remedium adversus libidinem. Secundus

Ecc ecc 3

dus